





3.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
*de*  
**NOVIS**  
**RATIOCINANDI**  
**ADMINICULIS,**

ubi ostenditur

Quomodo aliquis sine syllogismorum cognitione, ex una Propositione rite cognita, Myriades Conclusionum novarum elicere possit,

*Quam*

Indul tu benevolo Inclytæ Facultatis Philosophicæ,

In Academia Lipsiensi

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆNOBILISSIME ATQVE PRÆCLARISSIMI

DOMINI

**M. ANDREÆ Rüdigers /**

D. V. April. MDCCIV.

Eruditis examinandam exhibet:

**JOH. CHRISTOPH. NOERNERUS,**

Rochl. Misn.

---

L I P S I A E,

Literis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

DISTILLATIO PHARMACEUTICA

vii

NOVISSIMA  
RATIOTENIADI  
ADMINCERI

opus officinale

Quoniam sedis tunc in alijs p[ro]fessionib[us]  
quicunque ex eius officio utr[um]q[ue] deinde alicuius  
ex compunctione voluntatis, non possit

alij in p[ro]fessione ipsius secundu[m] h[ab]ent  
in ACADEMIA predicationem

et lib[er]tatem

h[ab]ent p[ro]fessionem atque iuramentum

deo nra b[ea]te maria

deo nra b[ea]te maria

deo nra b[ea]te maria

deo nra b[ea]te maria



## CAPUT I.

*De*

### Principiis Demonstrative ratiocinandi proximis.

Methodus Conclusiones novas eliciendi fere usu magis hactenus fuit tradita quam regulis §. I. II. III-IV. Certissimum Principiis atque Regulis innititur hec Methodus §. V. Quatuor nempe potissimum momentis §. VI. De Principio affirmatis §. VII. VIII. IX. De Principio Negationis §. X. XI. De Principio Universalitatis & Particularitatis §. XII. XIII. Quemadmodum Particularis hic intelligatur §. XIV. Quod omnis Particularis subalternans possit converti in Universalem §. XV. XVI. XVII. XVIII. De Terminis Medio, Novo, & non-Medio.

§. I. capitulo non inservientis in

Ngratus in Viros de literato orbe bene meritos foret, qui praestitam hactenus ab ipsis operam dignis fraudare laudibus non erubesceret: Ingenuum potius est fateri, imo & deprædicare, uti decet & par est, ingentia merita quibus præcipue artem ratiocinandi mactarunt Cartesius, Claubergius, de Port Royal, Clericus, Tschirnhausius, Chr. Thomasius & alii. Veteres ut taceamus.

§. II. Etsi autem hi Viri Celeberrimi ratiocinandi artem nobis reddiderint longe nitidorem quam esset, cum adhuc

A. 1517. sub

sub squalore scholastico lateret oppressa, tamen generalia fere saltem ab ipsis suis tradita, deprehendet quilibet, qui accurius paulo & proprius ealustraverit. Quomodo vero ipsum negotium inveniendarum novarum veritatum aggredi par sit, nullibi, quod sciamus, distincte enucleatum habetur.

§. III. Tritis ergo eorum vestigiis insistentes ulterius nos progredi, & humano generi tam utilem ratiocinandi artem penitus cognoscere, nemo nisi ignavus, turpe, nemo nisi aliquanto stupidior viribus hominis eruditum majus existimat opus. Unde veniam speramus, si forte hoc nostro instituto cornicum oculos, quod ajunt, configere velle, primo intuitu nonnullis videbimus.

§. Haec tenus enim fere usū saltem ratiocinari didicimus, cum tamen usus multum juvetur Regulis, non injucundum forte erit, legere, quid hoc in argumento nobis in mentem venit. Quo loco tempori monemus Benevolum lectorem, quod non nisi brevissimis hic nostro defungemur officio. Tam diffusa enim hæc est materia, ut si secundum Regulas synthe seos omnia hic ex fundamento eruta monstrare vellamus, disputationis carceres illa sit excessura. Unde si pluribus in locis deesse demonstrationes videbuntur, ignoroscere nobis parerit, quas enim habemus demonstrationes, propter prolixitatem argumenti non ubique dare potuimus.

§. V. Ut tamen ex quibus illa procedant *Principiis*, apparet, placet ante omnia pauca de his differere. *Principia autem Ratiocinandi vel prima, sunt vel Secunda seu Proxima.* Illa sunt generalia, & *Prima Disputatione nostra satis fuere excusata:* hæc vero sunt, ex quibus proxime dependet ratiocinandi artificium.

§. VI. Omnis autem difficultas in ratiocinandi negotio ad quatuor hæc credit momenta (1) unde sciamus, an affirmandum, (2) an negandum (3) an Universaliter, (4) an Particulariter, saltem affirmandum sit vel negandum.

§. VII. Etsi ergo horum quatuor momentorum commune

mune quoddam idque proximum Principium Connexionem esse nullo prope negotio commonstrare possemus; tamen utilius quatuor diversa principia statuuntur: quippe quæ & facilius intelligi, & pauciori verborum apparatu proponi possunt. Est ergo Affirmationis Principium Connexio, quam dicimus seriem idearum per Genus & Species ita dispositarum, ut sibi invicem insint.

§. IX. Ubi notes velim, quod per Genus & Species non præcise Conceptus essentiales velim intellectos, sed & Accidentales, unde hæc vocabula non debent secundum rigorem Philosophiae Peripateticæ accipi; sed ita supponi, ut ea in Disputatione nostra prima Cap. II. §. 13. fuere descripta. Nec Differentie vocem tam strictè velim intellectam, sed latius, ut & quodvis quarti Modi Proprium ambitu suo comprehendat, cuius Definitionem ibidem vide sis.

§. IX. Ut vero hæc Connexio Affirmationis Principium sit adæquatum, debent hæc Ideas sibi invicem inesse, quæ enim sibi invicem non insint & in quantum non insunt, Affirmationem non pariunt, sed Negationem potius. Sic v.gr. eti & Memoria & Judicium sint Facultates Intellectus, tamen sibimet ipsis haud insint, hinc nec de se invicem affirmari possunt: item Facultas Intellectus inest quidem Memoria, non tamen totaliter, sed partialiter saltem: neque enim, quicquid Facultas Intellectus audit, Memoria est, hinc & quadam quasi sui parte saltem prædicatur de Memoria, hunc in modum: Quædam Facultas Intellectus est Memoria: quædam vero non.

§. X. Principium, Negationis est Opposito, quam dicimus duas pluresve Ideas, que cum eidem Substantia sigillatim inesse possint, simul tamen & eodem quidem respectu inesse nequeunt. Est autem duplex Opposito, ut Communtes divisiones taceamus: Una respectu Generis & Speciei; altera respectu specierum oppositarum. De hac ultima nemo dubitat: de illa vero, quando nempe Genus opponitur Species, sciendum, quod omne Genus tot.

*quasi partes ambitu suo continet, quo habet species, quodque adeo quoad Partem illam, que propria est uni Speciei, necessario opponatur speciei alteri.* Sic v. gr. ponamus Facultates Intellectus adæquate dividi in Memoriam, Iudicium & Ingenium: Conceptus ille generalis, *Facultas Intellectus*, tres quasi habent *partes*, & quoad illam, que propria est Memoriae, opponetur reliquis duabus, Judicio & Ingenio, ut adeo dicere liceat: Quædam Facultas Intellectus non est. Judicium, quædam Facultas Intellectus non esse Ingenium; secus tamen se habet res in Oppositione Specierum, ubi quicquid significatur alteri opponitur v. g. Memoria, quoad omnia, que hac Ideam notantur, non est Judicium.

§. XI. Hic tamen observa (1) quod *Genus ratione definitionis* nulli speciei opponatur bene tamen, quoad ea, quibus illa Definitio competit. (2) *Quod prior Oppositio* quando nempe Genus opponitur quoad partem Conceptus sui Speciei, sit *Principium Negationis Particularis*; *Posterior*, quando nempe Species opponitur Speciei, *Principium Negationis Universalis*. (3) *Quod oppositio illa non semper sit Immediata, sed Media*ta sāpe, id quod de omnibus Particularibus & insuper de Singularibus quoque valet Propositionibus. v. gr. Si dico: *Petrus non bona gaudet Memoria*, videtur nulla esse Opposito inter Petrum & bonam Memoriam; quia tamen ad Ideam Petri tanquam Individui inter multos ipsi competentes Conceptus Quantitatis aliorumque Accidentium, hæc quoque Idea, quod ipsi Memoria sit labilis, numeranda venit, *bac ipsa mediante subjectum* hoc opponitur illi Prædicto.

§. XII. *Quod attinet ad Universalitatem & Particularitatem*, eorum Principium est certus respectus Subjecti & Prædicati. Scilicet si Subjectum se habet ad Prædicatum ut Conceptus Inferior ad Superiorē, tunc possunt universaliter de se invicem affirmari; sin vice versa, Conceptus superior est subiectum & Inferior Prædicarum, saltem Particularis Connexio procedit, sic

v. gr.

v. gr. non recte dico: Omnis Memoria est Facultas Intellectus:  
at vero : Quædam Facultas Intellectus est Memoria.

§. XIII. Notandum tamen quod si *Differentia* vel *Primum*, quod dicunt, *quarti Modi*, ingrediatur Propositionem, *Universalis semper procedat Connexio*, quo<sup>c</sup>unque loco eam colloces seu Subjecti seu Prædicati v. gr. omne *Ingenium* versatur circa imaginationem rerum uti esse possunt : & quicquid versatur circa imaginationem rerum, ut esse possunt, est *Ingenium*.

§. XIV. Quantum ad id, quod diximus de Particularitate, probe distingvendum inter *Particularēm Propositionēm subalternatām & non subalternatām*: quam quid prohibet dicere *subalternantem*? *Hec* est de qualoquinus, non illa; Subalternata enim est ex Universali, adeoq; eidem non potest opponi, nos vero agimus de Particulari, quæ universali est opposita.

§. XV. At ais: ita sequeretur *Particularēm subalternantem* posse converti in *Universalem*. Resp. sequitur omnino; & quamvis unanimis *Logicorum consensus* ejusmodi conversionem falsam pronunciet, recta tamen nos docetratio, hunc unanimem consensum nisi anxie & forte præter intentionem ita docentium limitetur, esse *falsissimum*.

§. XVI. Summa omnis huc credit. *Quando Prædicatum Propositionis Particularis Subalternantis est substantia*, res dubio caret *semper procedit Conversio Universalis* v. gr. Q. Animal est homo, Ergo O. homo est animal. At si *Prædicatum Substantia non est*, sed Accidens, hoc concipi nequit sine substantia seu Subjecto. Quaritur ergo, quod nam sit intelligendum, *an proximus an remotius*? Ubi quidem non inficior posse salva veritate utrumque intelligi, v. gr. Q. homo est felix: Prædicatum hujus Propositionis est Accidens, quod sine aliquo Subjecto concipi nequit. Proximus autem subjectum est subiectum Propositionis, remotiora sunt, Animal, Substantia, Ens.

Videamus ergo, an proximum hic debeat intelligi Subiectum, an remotorum quoddam.

§. XVII. Sane hic vel sola illa rationi conveniens Logicorum Regula, quod *Genus proximum omnium optime rem representet*, sufficit ad demonstrandum, quod subiectum Proximum sit intelligendum potius quam Remotum. Nam subiectum respectu suorum Accidentium, se semper habet ut conceptus superior ad Inferiorem. Huc accedit, quod *in Propositionibus, ubi Pradicatum est jam Substantia, necessario idem, Propositionis nempe, subiectum intelligatur.* v.gr. Q. animal est homo, quod idem est ac si diceres: Q. animal est animal rationale.

§. XIX. Cum ergo & usus & Ratio doceant, quod Subiectum Propositionis semper sit in Prædicato subintelligendum, patet tres ingressuros esse terminos conversionem, si aliud in Prædicato subintelligatur subiectum, quam Propositionis: & hoc incaute faciunt illi, qui hanc v.gr. ita convertunt: *Q. homo est magnus, Ergo Quoddam magnum est homo.* Quid enim est illud *magnum nisi Ens magnum*, adfunt ergo tres termini, *homo, homo, magnus, & Ens magnum*, id quod sane conversionis naturæ repugnat. Quod si debitum intelligatur subiectum, semper procedet Conversio Universalis v.gr. Q. homo est magnus (sc. homo) Ergo O. homo magnus est homo.

§. XIX. De cætero, quantum ad Syllogismum, aliter *Synthetice*, aliter *Analytice*, ille consideratur. *Analytice* vulgo considerant Philosophi, qui primum jubent considerare Conclusiōnem, dein examinare Præmissas: Hoc vero modo veritas quidem aliquo modo potest judicari, inveniri neutiquam. Sed si hoc intendas, *Synthetice* procedendum, id est, primum consideranda Major, & ex hac Conclusio elicenda.

§. XX. Ergo ut in *Analysi Medius* terminus maximi est momenti; ita in *Syntesi Novus*. Novus autem ille terminus nihil est aliud, quam *Subiecti aut Prædicati Conceptus Superior*,

*Inferior aut Lateralis.* Tres ergo Termini & hic in Synthesi sunt observandi, *Medius, non-Medius & Novus.* Medius est, ex quo Nevus fuit depromptus : Non-Medius alter ille Majoris Propositionis, ex quo novus non fuit elictus, alias Major : Novus vulgo dicitur Minor. Hæc loco Principiorum sufficient: ea omnia, quæ sequuntur, ex hisce dependent : et si ob prolixitatem argumenti applicatio non semper fieri poterit.

## CAPUT II.

*De*

Modo ratiocinandi simpliciori, receptis Doctrinis haud accommodato.

**S**chema aliquod, quomodo ex Universali Affirmante novæ Conclusiones elici debeant, proponitur & exemplis illustratur §. I. II. III. IV. Observations novem hic probe perpendende, §. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. Schema Negativarum cum exemplis §. XIV. XV. XVI. Quare hic non omnes Conjunctiones procedant §. XVII. XIIIX. XIX. Schema Particularium Affirmatarum cum exemplis §. XX. XXI. seruationes §. XXII. Schema Particularium Negativarum cum exemplis §. XXIII. XXIV. Quare tam paucæ hic procedant Conjunctiones §. XXV. XXVI. Quod hujus loci saltem sit argumentatio assumptiva §. XXVII.

§. I.

**S**ufficere quidem, hæc pauca, quæ differui, possent, ad veritates novas ex una Propositione semel rite cognita elicendas: Pateret enim sic satis, quid affirmandum, quid negandum, idemque an universaliter an particulariter. Ut tamen omni modo eos sublevemus, qui hac, uti volunt Doctrina, paucis Schematicis & breviter & jucunde omnem hanc sistamus Doctrinam, vid. Schema I.

§. II. Quilibet terminus habet suos Conceptus Inferiores, & Superiores ergo triplex datur respectu alterius Connexio: primo ratio-

tione sui ipsius: secundo ratione Superioris: tertio Inferioris Conceptus. Hinc octodecim resultant Conjunctiones præcipuae, quas Figura I. repræsentat.

§. III. Exemplis cum omnia longe fiant clariora, placet hic ante omnia quædam subnectere v. gr. sit *Propositio fundamentalis* seu *Principium*, *O. homo, qui, dum passionibus indulget, judicat, male judicat*, quam brevitatis gratia ita efferemus: *O passionibus deditus male judicat*, ejus *Subjectum & Prædicatum* ante omnia per *Conceptus Superioris & Inferiores* ita disponendum:

Super:	{ Homo Homo judicans	Agit	{	Super:
	Passionibus deditus	judicat	male judicat	
Infer.	{ Voluptuosus Avarus	male affirmat	male negat	{ Infer.
	Ambitiosus			

Jam Conclusiones secundum Numeros in Figura nostra I. indigitatos ita fluunt:

1. *O. Passionibus deditus male judicat.*
2. *E. Q. qui male judicat, est male Passionibus deditus.*
3. *E. O. qui Passionibus deditus judicat, agit.*
4. *E. Q. qui agit, Passionibus est deditus.*
5. *E. O. passionibus deditus male vel affirmat vel negat.*
6. *E. Q. qui male vel affirmat vel negat, Passionibus est deditus.*
7. *E. O. voluptuosus male judicat.*
8. *E. Q. qui male judicat, vel voluptuosus est vel avarus vel ambitiosus.*
9. *E. O. ambitiosus agit.*
10. *E. Q. qui agit vel ambitiosus est vel avarus vel voluptuosus.*
11. *E. O. avarus vel male affirmat vel negat.*
12. *E. Q. qui male vel affirmat vel negat, vel avarus est vel voluptuosus vel ambitiosus.*
13. *E. Q. homo male judicat.*
14. *E. Q.*

14. E. Q. qui male judicat est homo.

15. E. Q. homo agit.

16. E. Q. qui agit, est homo.

17. E. Q. homo male vel affirmat vel negat.

18. E. Q. qui male vel affirmat vel negat, est homo.

§. IV. Sic quilibet secundum schema nostrum facile poterit procedere & ratiocinandi negotio paulatim adsviefiri: ubi tamen adhuc aliqua velim notanda,

§. V. Primo, me supponere hoc schema ita esse concinnatum, ut *nunquam fallatur*, si quis secundum illud procedat: et si ultro largiar, posse aliquem, si secundum Principia Cap. I, malit procedere, quam hujus dictum sequi, interdum *Universales* elicere Conclusiones, ubi hic non admittuntur nisi *Particulares*.

§. VI. Dein me posse quidem facile omnes hosce concludendi modos ex Principiis Cap. I. *demonstrare*: quia tamen vereor, ne nimis ex crescat eo ipso pagellarum numerus, id facere prohibeor: præcipue cum qui dictum Cap. I, rite intelligat, facile *Demonstrationes supplere possit*.

§. VII. Tertio me hoc Schemate non expressisseni *Conclusiones immediatas* i. e. illas, quæ ex Propositione fundamentali sequuntur, non item illas, que mediante alia inde possunt confici. Unde N. 13, 14, 15, 16. non ad misimus nisi *Conversio-*  
*nem Particularem*, et si Cap. I. §. 15, 16, 17, 18. *demonstraverimus* Particularem posse converti Universaliter; Hæc enim Universalis et si sic quoque procedat: tamen ex Fundamentali non sequeretur v. gr. Et si hæc: Q. homo male judicat, admitteret hanc *Conversionem*, E. O. homo, qui male judicat, est homo; Hæc tamen haud sequeretur immediate ex illa Fundamentali: *Omnis Passionibus deditus male judicat*. Hoc & ulterius patet ex Num. 7. & 9. ubi et si Num. 8. & 10. non videantur esse, nisi illarum conversæ: Hæc tamen Disjunctivum habent Prædicatum quia si procederes alio modo, ex Fundamentali illa iterum haud sequerentur.

§. IIX. Porro hic nos potissimum respicere Propositionem Uni-  
versalem ex terminis in equalibus constantem; non item illā ex-e-  
qualibus i.e. ubi Subjectum se habet ad Prædicatum ut Definitum  
ad Definitionem: Hic enim plusculum licet quam in illis v.g. hic  
possum ex singulis Inferioribus Prædicati concludere ad subje-  
ctum, id quod tamen alibi non licet. v. gr. licet ita concludere.  
O. *Passio est motus animi extraordinarius*, & hic motus  
extraordinarius dividitur in Voluptatem, Ambitionem & A-  
varitiam recte de singulis subsumitur. E. *Ambitio est Passio*. At  
sic hæc v.gr. Propositio O. *Ambitio est Passio*: Dividitur in  
Ambitionem, Avaritiam & Voluptatem; jam non licet sub-  
sumere. E. & Avaritia & Voluptas.

§. IX. Quinto ad Differentiam quod est, posses eam de-  
siderare: cum nec ad Superiores nec ad Inferiores conceptus  
ea pertineat: sed notandum, nulla differentia potest concipi si-  
ne Subjecto, hoc si concipiatur, simul cum Differentia totum  
terminum concipies, pertinebitque adeo Differentia ad ter-  
minum suum, paremque cum eo semper habebit efficaciam,  
ut adeo opus non sit, ut peculiarem ei attribuamus classem.

§. X. Sexto nos hic loqui de argumentationibus, ubi no-  
vus terminus unus vel plures assumuntur: non idem de illis, u-  
bi terminus Subjecti vel Prædicati jam in Majore extans trans-  
sumitur. Hic enim ratioinandi modus est facillimus, dum  
modo observes, Oppositorum uno negato affirmari id omne, quod  
opponitur, unoque affirmato negari quicquid restat.

§. XI. Nos hic Septimo in tota Disputatione loqui de mo-  
do eliciendi Conclusiones demonstrativas, neutiquam Probabi-  
les, quippe quæ alio modo, quam per ejusmodi Cöpulatio-  
nem Conceptuum sunt inveniendas.

§. XII. Octavo cum hic & alibi Conjunctiones videoas Dis-  
junctivas v. gr. Schemate primo, Num. 10. 11. & 12. & alibi  
passim, sciendum, quod non adeo simus repugnaturi, si quis eas  
tan-

tanquam totum Conceptum suum referentes velit plane omittere & nullam ibi Conjunctionem concedi posse dicat ; quia tamen non plane tautologica est illa Copula, hinc eam quoque tolerari posse existimamus.

§. XIII. Nonne, ne deterrearis hoc Schemate tot diversitatibus implexo, nota, quod quicquid connectitur cum Subjecto ejusque Inferioribus, ita quidem ut Subjectum ejusque Inferiora loco Subjecti maneant, Universales gignat Propositiones, quod se-  
cūs Particulares ; sic unica hac Regula totum Schema notum reddetur.

§. XIV. Ehi quidem sunt modi Conclusionum immediatarum. Cæterum mediatas adhuc multas inde habere licet, & tribus quidem maxime modis. Primo mediante Universalis negante: Secundo mediante Particulari Affirmante: Tertio mediante Particulari Negante. De Universi negante primum videbimus ; elicetur hæc sequenti modo : Primo Prædicati Universalis Propositionis Affirmantis queritur Oppositum : hoc invento Subjectum negative cum eo copulatur v. gr. Superioris Propositionis §. 3. Prædicatum erat homo, qui male judicat, hujus Oppositum est, Homo qui bene judicat, & uno vocabulo dicitur sapiens : Hinc est Propositio negativa : Nullus Passi-  
onibus deditus est Sapiens : hac tandem Propositione mediante multæ novæ Conclusiones ex illa Fundamentali possunt elici, quæ immediate quidem fluent ex illa, mediate vero etiam ex hac.

§. XV. Schema vide Figura II.

§. XVI. Quod si ergo Mediatas desideres Conclusiones, utrumque illius §. 11, allegatae Propositionis terminum per Inferiora dispone & Superiora hunc quidem in modum :

	Homo		
Super:	Homo judicans	Eruditus	
Subj.	<i>Passionibus deditus</i>	<i>Sapiens Prædic.</i>	
	Voluptuosus	Theologus	
Infer.	{ Ambitiosus Avarus	Jure Consultus	Verus
		Medicus	
		Philosophus	

Jam Conclusiones secundum Schematis numerorum ordinem ita fluunt:

1. Nullus *Passionibus deditus* est sapiens
2. E. N. *Sapiens* est *Passionibus deditus*
3. E. N. *Passionibus deditus* est verus *Theologus &c.*
4. E. N. *Nervus Jure Confultus* est *passionibus deditus*.

5. E. Quidam eruditus non est *Passionibus deditus*.
7. E. N. *Passionibus deditus* est verus *Medicus &c.*
8. E. Nullus *Sapiens* est *voluptuosus &c.*

9. E. Quid. eruditus non est *avarus*.
11. E. N. *Avarus &c.* est verus *Philosophus &c.*
12. E. N. verus *Philosophus &c.* est *avarus &c.*
13. E. Q. homo non est *sapiens*.

- 14.
15. E. Q. homo non est verus *Theologus &c.*

16.

17.

18.

§. XVII. Pleraque & hic sunt notanda, quæ supra §§. 5. 6.  
7. 9. 10. II. recensuimus. Præterea & hic opera videtur pretium ex planare, quare non omnes *Conjunctiones* procedant, ut in primo illo Schemate. Scilicet et si aliquæ ejusmodi Conclusiones manerent verae, tamen ex Propositione Fundamentali non sequerentur, & in aliis exemplis facile possent fieri falsæ; cuius rei ratio merito hic paucis venit explicanda.

§. XIX

§. XIIIX. Advertatur ergo id, quod Cap. I. §. X. diximus de natura negationis Universali & Particulari, quod illa nempe sit semper inter duas Species Oppositas; hæc vero inter Genus & Speciem. Sic ergo hoc primum patet in universalis negante Subjectum & Prædicatum semper fore duas Species oppositas. Cum ergo, que Genere differunt, inter se semper maneant Opposita, hinc omnia Inferiora & Subjecti & Prædicati semper Universaliter de se invicem negabuntur, id quod patet ex Num.

3. 4. 7. 8. II. 12.

§. XIX. Ergo cum Conclusio in omni Ratiocinatione sequatur Partem Debiliorem ex Negativa Affirmativa sequi haud potest. Particularis vero proprie talis, quæ opposita est Universalis, negativa esse haud potest, nisi Subjectum respectu Prædicati sit Conceptus Superior, ergo cum num. 5. 9. 14. 16. 17. 18. facile accidat, ut Subjectum sit Conceptus Inferior patet hanc concludendi rationem haud procedere. Neque etiam inde, quod Subjectum & Prædicatum sunt Opposita sequitur, quod v.gr. Subjectum oppositum sit Prædicato, quippe in quo illa duo convenient, id saltem sequitur, quod Conceptus superior Subjecti vel Prædicati quoad partem oppositus sit alterutri Subjecto vel Prædicato.

§. XX. Secundus Modus Conclusiones mediatas elicendi est per Propositiones Particulares. Una enim Particularium immediatarum assumitur, & rite dispositis Superioribus & Inferioribus Subjecti & Prædicati, Conclusiones secundum Fig. III. Schema elicuntur. v.gr. Propositio sit illa §. 3. n. 2.

Super. Homo	Impos rationis	Sup.
Subj. Q. qui male judicat	Passionibus est deditus,	Præd.
Infer. male affirmat.	Voluptuosus	Infer.
negat.	Ambitiosus	
	Avarus	

§. XXI. Jam ad Ductum hujus Schematis ita Conclusiones elicuntur:

1. Q. qui male judicat, Passionibus est deditus. §A. XIX.  
 2. Q. qui Passionibus est deditus, male judicat.  
 3. E. Q. qui male judicat, rationis est impos.  
 4. E. Q. qui impos rationis est, male judicat. §B. 8.  
 5. E. Q. qui male judicat vel voluptuosus est, vel avarus, vel am-  
     bitiosus. §C. 2.  
 6. E. Q. qui vel avarus est, vel voluptuosus, vel ambitiosus male ju-  
     dicat. §D. 2.  
 7. E. Q. qui male vel affirmat vel negat Passionibus est deditus.  
 8. E. Q. qui Passionibus est deditus male vel affirmat vel negat.  
 9. E. Q. qui male vel affirmat vel negat impos rationis est.  
 10. E. Q. impos rationis vel male affirmat vel negat.  
 11. E. Q. qui male vel affirmat vel negat, vel avarus est, vel am-  
     bitiosus vel voluptuosus. §E. 1.  
 12. E. Q. qui vel avarus est vel ambitiosus vel voluptuosus male vel  
     affirmat vel negat. §F. 1.  
 13. E. Q. homo passionibus est deditus. §G. 1.  
 14. E. Q. Passionibus deditus est homo. §H. 1.  
 15. E. Q. homo vel avarus est, vel voluptuosus vel ambitiosus. §I. 1.  
 16. E. Q. homo impos rationis est, §J. 1.  
 18. E. Q. impos rationis est homo. §K. 1.

§ XXII. Et hic memoria facillime sublevabitur, si ob-  
 serves, quod *Particularis* sit omnis *Connexio*: Saltem sicum *In-  
 terioribus* illa, quomodo curque instituatur, *Disjunctive* id fa-  
 ciendum. Coeterum sicut omnis *veritas* vel *Essentia* est vel  
*Existentia*; ita omnis *Propositio* veritatem pariens vel *Univer-  
 salis* vel *Particularis*: Illa monstrat veritatem *Essentiae*; haec  
 vero *Existentiae*. Etsi ergo *Universalis* longe nobilior sit *Parti-  
 culari*, tamen & haec neutquam suo planea destituturus. Tan-  
 dem miseri noli, quare cum supra Cap. I. § 15. seqq. demon-  
 straverimus, quod *Particularis* omnis possit in *Universalem* con-  
 verti, hic eandem *Conversionem* non admiserimus: Etsi enim  
 haec *Conversa Universalis* semper esset vera, tamen ex ordine  
qvi-

quidem Subjecti & & Prædicati dependeret, ex ipsa vero Propositione hanc sequeretur.

§. XXIII. Tertius modus Argumentationum Mediatarum est per Propositiones Particulares Negativas: ubi ex Negativeibus Universalibus Mediatis seligitur quæcunque Particularis, & ex ea secundum certum Schema elicuntur Conclusiones Particulares Negativæ. Hæ et si omnium minimum habeant roboris cum respectu Quantitatis & Qualitatis sint insimil gradus, tamen aliquem etiam eundemque non continent præstant usum, quatenus Universalitatem theseos oppositæ infringunt. Quod si enim aliquis asseruisset omnem eruditum avarum, dum sic concluditur quendam eruditum non esse avarum cadi, eo ipso Universalitas theseos oppositæ.

§. XXIV. Coeterum Schema Particularium Negativarum tale est:

Exemplo nobis hic esse potest Conclusio sexta supra §. XIII. elicta, v.gr.

Super. Homo impositionis. Super.  
Subj. Q. Eruditus non est Passionibus deditus. Prædic.

Infer.	Theologus	Ambitiosus
	Jureconsultus	Voluptuosus
	Medicus	Infer.
	Philosophus	Avarus

Conclusiones jam secundum hoc Schema sunt sequentes:

1. Q. Eruditus non est Passionibus deditus.
- 2.
3. E. Q. Eruditus non est Ambitiosus.
- 4.
- 5.
- 6.
7. E. Q. vel Theologus vel Jure Consultus vel Medicus vel Philosophus non est Passionibus deditus.
- 8.
- 9.
- 10.

11.  
 12.  
 13. E. Q. Homo non est Passionibus deditus.  
 14.  
 15. E. Q. Homo non est Voluptuosus.  
 16.  
 17.  
 18.

§. XXV. Miraberis forte , quod tam paucæ hic procedant Conjunctiones, cuius tamen reiratio facile appareat, si cogites Particularem Negativam posse dupliciter intelligi & affirmative & negative , v. g. Si dico. Q. animal non est homo ; simpliciter in Prædicato concipio ideam hominis negatam de aliqua conceptus Generici in Subjecto oppressi parte : at si dico : Q. animal non est homo , eo ipso in Prædicato statim dimitto ideam hominis & concipio ideam oppositam , potius bruti nempe ut adeo ejusmodi Propositio æquipolleat huic affirmanti : Q. animal est brutum. Unde etsi Conjunctiones omnes; quas nos Num. 2.4 5.6.8.9.10.&c. non locum habere notavimus, videantur procedere, si Prædicatum facias infinitum. v. gr. E. Q. Passionibus non deditus est Eruditus , item E. Q. ambitiosus est eruditus ; tamen ejusmodi Conclusiones sequentur ex illa fundamentali, non quatenus est Negativa, sed quatenus virtualiter affirmativa ; adeoque tunc procedunt omnes Conclusiones secundum Schema §. XVI.

§. XXVI. Quod vero ex ejusmodi Propositione negative intellecta, plurime Conjunctiones haud procedant, demonstrari facile potest ex natura Propositionis particulariter negantis. (de qua vid. Cap.l. §. X. & XI.) qua in eo consistit, ut Subjectum sit Conceptus Superior , Prædicatum Inferior : Unde quando Subjectum potest fieri Conceptus inferior, Prædicatum Superior , ratiocinatio non procedit, & hoc ipsum est, quod impedit , quo minus admitti possint numeri plerique hujus Schematis.

§. XXVII.

§. XXVII. Coeterum hi sunt concludendi modi ubi Novus terminus assumitur: quod si Novus terminus non assumitur, sed in Majore jam existens transsumatur saltem in Minorem, Particularis argumentandi modus est ex Doctrina de Oppositione dependens: Semper enim quando ejusmodi terminus est transsumendus, Subjectum vel Prædicatum ex duabus ad minimum constat Ideis, & iis quidem oppositis; Unde si duæ sunt illæ Ideæ, altera affirmata, necessario altera negatur, altera vero negata, altera affirmatur. Quod si plures sunt duabus, una affirmata negantur singule, quæ restant; at una negata, non statim quæ restant singule affirmantur, sed conjunctum Disjunctive.

### CAP. III.

De

#### Modo Conclusiones novas eliciendi receptis doctrinis accommodato.

Hic ostendemus, quomodo secundum quatuor Figuras hactenus receptas novæ veritates inveniantur §. I. Ratiocinamur vel duobus, vel tribus, vel quatuor terminis §. II. Quando tribus terminis tunc quatuor sunt Figurae §. III. Quid sit Figura Prima Syntheticæ considerata §. IV. Hujus demonstrantur Modi §. V. Quid sit Secunda Figura §. VI. Hujus quoq. demonstrantur Modi §. VII. Quid sit Tertia Figura §. VIII. Quod Syntheticæ procedenti aliqui receptorum Modorum sint necessarii, aliqui superflui §. IX. Quid sit figura Quarta: qui Modi necessarii & cur Major hic non possit esse Particularis §. X. & XI. Quare in Affirmativa non possit assumi Conceptus inferior §. XII. Syllogismus quatuor Terminorum & Propositionum demonstratur §. XIII. XIV. Describitur & dividitur §. XV. Exemplis illustratur §. XVI. & XVII. Singula Figurae describuntur & Modi eorum recensentur §. XIX. XIX. Quod Modus Datisi securè possit converti in Dativa, & quod illa Regula; Conclusio sequitur partem Debiliorem vulgo male intelligatur §. XX. Quod & Ferison

C

in

*in Ferisen & Eressiorum in Fressiēm S. XXI, Quod in Prima Figura  
ad hoc detur Modus A. & I.*

§. I.

**Q**uomodo Conclusiones aliorum secundum hodie receptas quatuor Figuras debeant examinari, omnes Philosophi & Veteres & recentiores plus satis demonstraverunt. Quomodo vero ex Propositione aliqua secundum eas ipsas quatuor Figuras novae Conclusiones possent elici, nemo hactenus, quod sciamus, luculenter edocuit, hoc itaque opus hic labor nostre erit hoc in Capite.

§. II. Veritates autem novae ex una Propositione eliciuntur vel duobus vel tribus vel quatuor terminis. Duobus terminis ratiocinamur *Conversione* & *Oppositione*, cui doctrinæ si addas id, quod Cap. I. §. XV. seqq. de *Conversione Particularium* diximus satis bene se habet in vulgaribus libellis Logicis : ad quos Lectorem volumus remissum.

§. III. Quantum vero ad *ratiocinationes trium terminorum*, ea vulgo vocantur *Syllogismi*, quatuorque absolvuntur Figuris, quæ quatuor Figurae *Synthétice* consideratae nihil sunt aliud, quam quatuor ratiocinandi modi, ubi *novus terminus* diversimode assumitur, jam ex *Subiecto*, jam ex *Predicato*, jam ex hujus *Opposito*, jam ex *Conceptibus Inferioribus* jam ex *Superioribus*.

§. IV. *Prima illa Figura* quam jam non secundum externam terminorum structuram, sed interius considero, est *modus ratiocinandi*, quo ex *Subiecto Propositionis Universalis* affimitur *Idea nova*, & postquam debite secundum Principia Primi Cap. cum suo medio fuit conjuncta, si ad *Subiecti Inferiora* spectat *Universaliter* : *Sin ad Superiora Particulariter* cum dictæ *Propositionis Universalis Predicato* conjungitur vel ab eodem removetur : prout illa Fundamentalis Majorem puta, est vel Affirmativa vel Negativa.

§. V. Possemus hæc omnia, quæ hac in Descriptione asserui-

ferum us ex Principiis Cap. I. demonstrare sed & prolixum ni-  
mis & ingratum forte pluribus legentium foret. Quatuor  
autem, quæ vulgaris doctrina hic exhibet, dari saltem Modos  
ad oculos patet. Scilicet Novus terminus ex Superioribus Pro-  
positionis Universalis elicitus, parit Conclusionem Particulariter  
Affirmantem, v. gr. O. Passionibus deditus male judicat. E. Q. ho-  
mo male judicat: Sin ex Inferioribus ejusdem, Universalem, v. gr.  
O. Passionibus deditus male judicat. E. O., volvutoſus male  
judicat. Sin Propositionis sit Universalis Negans & Novus termi-  
nus desumatur ex Subjecti Superioribus dabit Particulararem Negan-  
tem, v. gr. N. Passionibus deditus est sapiens. E. Q. homo non est  
sapiens: ex ejusdem Inferioribus Universalem Negativam, v. g.  
N. Passionibus deditus est sapiens, E. N. Ambitiosus est  
sapiens.

§. VI. Secunda Figura hoc habet proprium, ut ter-  
minus novus non desumatur immediate ex Subjecto vel Præ-  
dicato, sed ex alterutrius Opposto. Hinc sumendus est termi-  
nus Prædicato Contradicторie vel Contrairie oppositus ex ejus-  
que Superioribus vel Inferioribus Novus terminus accersen-  
dus. Est ergo secunda Figura modus ratiocinandi, ubi ex Proposi-  
tionis Universalis Prædicati Opposto assumitur Conceptus Supe-  
rior vel Inferior, & postquam cum suo Medio rite fuit conjunctus.  
si est Superior Particulariter, sin Inferior Universaliter Negati-  
ve cum Subjecto connectitur.

§. VII. Modi iterum dantur non nisi quatuor. Propositio  
enim est vel Universalis Affirmans vel Negans: novus terminus  
vel petitur ex Opposti Superioribus vel Inferioribus. Hinc si no-  
vus terminus sit ex Superioribus Universalis Negative desumus  
nascitur Conclusio Particulariter Negans, v. gr. N. Passionibus  
deditus est sapiens. E. Q. homo non est Passionibus deditus;  
Sin ex Inferioribus, Universalis, v. gr. N. Passionibus deditus  
est sapiens. E. N. verus Theologus est passionibus deditus.  
Sin Propositionis sit Universalis Affirmans ex Superioribus nasci-  
tur

tur itidem *Particularis Negans*, v. gr. O. Passionibus deditus male judicat. E. Q. homo non est Passionibus deditus: ex Inferioribus vero *Universalis*, v. gr. E. O. qui bene affirmat vel negat Passionibus non est deditus.

§. VIII. *Tertia Figura* est modus ratiocinandi ubi ex *Subjecto Propositionis* maxime *Particularis* assumitur *Idea Superior*, ac postquam debite cum suo medio jam *Prædicati* locum occupante fuit connexa, *Particulariter* cum *Prædicato copulatur*. Ubi simul nota, eadem hic fere observatur *Connexio ut in Prima*, nam hic quoque novus terminus petitur ex *Subjecto* & cum *Prædicato* conjungitur: id tamen intercedit discrimen, quod in *Prima Figura* non saltem procedat *Connexio Particularis* sed & *Universalis*: hic vero *Particularis* tantum: ibi novus terminus petitur tum ex *Subjecti Superioribus* tum ex *Inferioribus*; hic saltem ex *Superioribus*: in *prima Figura* *propositio fundamentalis* seu *Major* est semper *Universalis*; hic vero potest quoque esse *Particularis*. Nec ideo tamen *Tertia Primam* includit; cum saltem *Conclusiones Particulares* in *Prima* elici solitae, hic quoque possint haberi.

§. IX. Id tamen verum est, quod *Synthetice* procedenti, quidam modi *Tertia Figura Darapti*, *Felapton*, *Datisi*, *Ferison* sint superflui, hisce enim quicquid concluditur in *Prima æqua* facilitate eruitur: quod tamen secus se habet si *Syllogismum Analytice* consideres. Hinc duo saltem remanent modi necessarii, unus ex *Particulari affirmante*, v. gr. Quidam Eruditus est Passionibus deditus, E. Q. homo passionibus est deditus: alter ex *Particulari Negante*, v. gr. Q. Eruditus non est sapiens, E. Q. homo non est sapiens. Plures modi necessarii esse nequeunt, ideo quod ex *Inferioribus* hic nihil licet desumere, quod siliceret duo darentur adhuc modi.

§. X. Restat *Figura Quarta*, quæ & ipsa communem cum aliis experta est sortem, i. e. *Analytice* semper fuit considerata, *Synthetice* nunquam. Unde illa Methodo modi quidem,

dem, qui vulgo statuuntur sunt adæquati: at *Synthetice* si contempleris abundant tres nempe *Calentes*, *Fessam* & *Fressam*, quippe qui eodem plane modo, conversa saltē Minore, eliciuntur per *Secundam Figuram*, adeo ut non remaneant nisi *Barbari* & *Dibatis*: unde & ignoscet, Benevolus Lector, quod his duobus saltē modis nostram accommodabimus Descriptionem.

§. XI. Est ergo *Quarta Figura* modus ratiocinandi, ubi ex Propositionis *Universali* & *Particulari* Affirmantiis Prædicati Conceptibus Superioribus tantum assumitur aliquis, & postquam debite cum suo Medio fuit connexus Particulariter cum Subjecto copulatur. Ubi observa, et si hic modus argumentandi procedat etiam ex *Universali Negante*, tamen non procedit ex *Particulari Negante*, cuius reihæc est ratio: Omnis Particularis negans loco Subjecti Conceptum Superiorem loco Prædicati Inferiorem agnoscit; omnis autem Argumentatio hie procedit ex Prædicati Superioribus. Jam ille Concep̄rus Propositionis Particulariter negantis vel esset ipsum Subjectum, sic de eo negari non posset; vel Conceptus Subjecto Superior, hoc calu procederet negatio illa Particularis. Posset vero etiam accidere, ut esset Conceptus Subjecto Inferior, sic Negatio non haberet locum, v.gr. Quoddam Ens non est homo. O. homo autem est animal. E. Quoddam animal non est Ens.

§. XII. Uhum adhuc superest, quod admirari posses, quare nempe ex Affirmativis non posset assumi terminus novus, qui sit Conceptus Prædicati Inferior, cum id tamen liceat in Negativis, si quidem eas hic velis admittere. Scilicet qui Genus affirmat, is non statim hanc vel illam affirmat Speciem, atqui Genus negat ille & Singulis negat Species. Ergo si Propositio Fundamentalis sit *Universalis Affirmans* affirmatur quidem Prædicatum tanquam Genus de Subjecto tanquam Specie, at ideo non & Species Prædicati necessario affir-

inabuntur de Subjecto. At si Propositio sit *particularis Affirmans*, itidem illi Conceptus Inferiores non procedent: Predicatum enim propositionis Fundamentalis debet in Minoris fieri Subjectum, & sic non posset facere nisi Minorem particularē Secundum principia Cap. I. §. 12. Sic syllogismus constaret ex puris particularibus, id quod absurdum. At vero si Propositio sit *Negativa*, negato Genere negantur & singule species, unde tunc potest assumi terminus novus Inferior, qui tamen semper particulariter debet conjungi cum Subjecto, ut Conclusio sequatur partem debiliorem.

§. XIII. Hactenus vidimus quomodo ex aliqua Propositione duobus & tribus terminis novae eliciantur Veritates, nunc perpendendum quoque, quomodo id contingat quatuor. Nec est, quod mireris, quatuor quoque terminis posse constare Syllogismum, cum vulgaris doctrina eidem non concedat nisi tres: mirandum potius, quod tot seculorum decursu nemo hanc argumentandi rationem agnoscerē voluerit; cuius tamē rei causam nullam aliam reprehendo, quam *Methodum Analyticam* semper a Philosophis observatām, qui tamen si Synthetice fuisserint progressi, facile hos concludendi modos invenissent.

§. XIV. Syllogismum ergo quatuor terminis & quatuor Propositionibus constare & posse & sepe debere, ita tamen ut nec Sorites sit nec Epichirema, de quo vid. Lart. de Pensē Part. III. Cap. XV. & Aristot. in Top. lib. VII. Cap. XI. N. 16. item Quintil. Lib. V. Cap. X. asserimus & ad oculum quoque demonstramus. Omnis Propositio duabus constat terminis Subjecto & Predicato, ex alterutro dum assūmitur novus terminus, & cum Medio suo copulatur, deinceps cum termino non-medio conjugitur, nascitur necessario Syllogismus trium modo terminorum & Propositionum. At si ex utroque Majoris termino, Subjecto videat & Predicato, novum assūmas, utrumque cum suo Medio conjugas, & tandem utrumque novum inter se connectas, necessario inde resulta-

sultabit Syllogismus quatuor terminorum & quatuor Propositionum.

§. XV. Est ergo Syllogismus quatuor Propositionum, ubi utrinque ex Subjecto eque ac Prædictato nodus assumitur terminus, & postquam cum duobus suis mediis legitime fuit conjunctus, tandem uterque novus in Conclusione, de se invicem vel affirmatur vel negatur Dividi potest idem in Octo Figuras, quas ita demonstramus: Vei. Mediis termini se invicem servato ordine succedunt, ita ut in secunda statim Propositione sequatur Subjectum in Tertia demum Prædicatum: vel ordine inverso, ita ut in Secunda sequatur Prædicatum Propositionis Fundamentalis, in Tertia Subjectum ejusdem.

§. XVI. Si ordo servatur quatuor dantur Figuræ: Vel enim (a) uterque terminus medius bis occupat locum Subjecti v. gr.

O. Passionibus deditus male judicat.

O. Passionibus deditus est homo

O. Qui male judicat agit

E. Q. homo agit.

vel (ε) bis loco Prædicati: v. gr.

N. Passionibus deditus est sapiens

O. Ambitiosus est Passionibus deditus.

O. Verus Theologus est sapiens

E. N. Ambitiosus est verus Theologus

vel (γ) Semel loco Subjecti semel loco Prædicati.

e. gr. N. Passionibus deditus est sapiens.

O. Passionibus deditus est homo,

O. Verus Theologus est sapiens.

E. Q. homo non est verus Theologus.

vel (δ) Semel loco Prædicati, semel loco Subjecti

e. gr. O. Passionibus deditus male judicat.

O. Voluptuosus est Passionibus deditus.

O qui

O. qui male judicat agit.

E. O, Voluptuosus agit.

§. XVII. Si ordo invertatur dantur itidem Figure quatuor.  
Vel enim ( $\alpha$ ) Medius terminus bis ponitur loco Subjecti.  
v. gr.

O. Passionibus deditus male judicat.

O. Qui male judicat, agit,

O. Qui Passionibus deditus est, est homo.

E. Q. qui agit est homo.

Vel ( $\beta$ ) bis loco predicati e. gr.

N. Passionibus deditus est sapiens.

O. Verus Theologus est sapiens

O. Voluptuosus est passionibus deditus.

E. N. Verus Theologus est voluptuosus.

Vel ( $\gamma$ ) Semel loco Subjecti, semel loco Prædicati.

v. gr. N. Passionibus deditus est sapiens

O. Sapiens est Eruditus.

O. Avarus est Passionibus deditus.

E. Q. eruditus non est Avarus.

Vel ( $\delta$ ) Semel loco Prædicati, semel loco Subjecti.

v. gr. O. Passionibus deditus male judicat.

O. Qui male affirmat vel negat, male judicat.

O. Passionibus deditus est homo

E. Q. qui male vel affirmat vel negat est homo.

§. XIX. Jam octo harum Figurarum *descriptions* breves ita habe; prima est quando novi termini assumuntur ex Subjecti & Prædicati Conceptibus Superioribus & particulariter inter se connectuntur. Secunda quando utriusque Conceptus Inferiores assumuntur & pro Diversitate Propositionis fundamentalis jam Universaliter jam Particulariter connectuntur. Tertia si Subjecti Superior, Prædicati Inferior assumuntur Conceptus & particulariter inter se junguntur. Quarta est, si Subjecti Inferior, Prædicati Superior assumuntur Conceptus & pro diversitate propositionis

*tionis Fundamentalis jam Universaliter inter se connectuntur  
jam Particulariter.*

§. XIX. Et hæ sunt quatuor Figuræ ordinis servati, sequuntur quatuor ordinis inversi: ubi non necesse est, ut peculiares suppeditemus *Descriptiones*, cum in his Subiectum Conclusionis sit Conceptus Prædicati propositionis fundamentalis, & in quatuor præcedentibus Figuris semper est Conceptus ex ejusdē Propositionis Subjecto petitus, Observandum tamen est, quod hic *Tertia figura* sit applicanda descriptio *Quarte*; *Quarta vero Tertia*. Modis harum figurarum tradendis licet supersedere, multiplicantur enim mirum in modum, si omnes quotcunque procedunt diversitates vellemus examinare. Ne tamen labaris in Conclusionibus elicendis præsupposito quod termini debeat assumi secundum descriptiones §. 18. & 19. (nam & alio modo potest fieri) hostibi habemodo & primo quidem in figuris ordinis servati.

Prima A. A. A. I.

I. A. A. I.

Secunda A. A. A. A.

E. A. A. E. I. A. A. I.

Tertia A. I. A. I.

E. A. A. O. I. A. A. I. O. A. A. O.

Quarta A. A. A. A.

I. A. A. I.

In Figuris ordinis inversi iidem modi sunt in Fig. I. & II. nisi quod in Secunda pro A. A. A. A. substituendum sit A. A. A. I. in III. vero & IV. ita discrepant.

Fig. Tertia A. A. A. I.

I. A. A. I.

Quarta A. A. A. I.

I. A. A. I.

§. XX. Coronidis loco adhuc observare licet, quod communes Figurarum modi non omni exceptione sint majores, sic v. gr. modus *Datis* secure potest converti in *Datis*, dummodo Minor semper sit proprie Particularis & non subalternata. Nec obstat, quod ita *Conclusio* non sequeretur Partem debiliorum, cum illa pars debilior non querenda sit in Propositionis Minoris Negatione aut Particularitate, sed in Connexione novi termini cum Medio. Ille enim novus scilicet si connectatur Universaliter cum Medio connectetur & idem eodem

modo ( si argumentatio procedat ex Universalí affirmante )  
cum non medio seu termino Majore. Ergo si ita concludo.

O. Passionibus deditus male judicat.

Q. Passionibus deditus est ambitiosus.

E. O. Ambitiosus male judicat.

recte semper ita concludi ajo Novus enim hic terminus est *ambitiosus*, qvi cum Universaliter conjunctus sic cum suo medio *passionibus deditus*, omnis enim ambitiosus est talis, eodem modo deinceps in Conclusione connectitur cum termino Majore *male judicat*: hoc modo *omnis ambitiosus male judicat*.

§. XXI. Eadem illa regula male vulgo intellecta peperit alios adhuc modos, ubi imperfectior Conclusio admittitur, cum tamen perfectior posset concedi v. gr. *Ferison* secure potest mutari in *Ferisen*, *Fressom* in *Fressem*. In hisce enim modis omnibus valet Conclusio Universalis dummodo id séniper advertatur, quod supra monuimus, ut *Minor* sit *proprie particularis* & non *subalternata*: hoc enim casu cum procedat Universalitas, ratiocinatio aperte non spectat ad hos modos sed ad alios v. gr. non ad *Datisa*, sed ad *Darapti*, non ad *Ferison* sed ad *Felapton*, non ad *Fresison* sed ad *Fespamo*. Et in his tamen argumentationibus omnibus *Conclusio sequitur partem debiliorēm*, qvæ tamen qvod non in Quantitate & Qualitate *Minoris* sit qvarenda, sed potius in Connexione novi Termini cum Medio, duabus saltem rationibus evincemus, (1) qvod, quicquid concluditur in *Datisa* id idem quoque concluditur in *Barbara*: quicquid in *Ferison* id idem quoque in *Celarent*, & quicquid in *Fressom* id idem quoque in *Cesare*, uti patet ex Fig. ænea nulla ergo appetet ratio, qvare cum *essentialia Syllogismi* retineantur omnia & *accidentalis* faltem *Conversio Minoris*, etiam ad ratiocinationem non absolute necessaria, fiat, hæc tantum possit causari mutationem, ut ideo Conclusio non possit esse nisi *Particularis*, (2) *In Syllogismo Transumptivo* aperte falsa est hæc regula ita intellecta: Sic enim omnium consensu recte concludo:

Hoc

Hoc animal vel homo est vel brutum

Atque non est homo

E. est brurum,

Minor est negativa & Conclusio tamen non sequitur partem  
debiliorum.

§. XXII. Ultimo & hac pro nostro instituto Conclusiones  
Novas eliciendi modos monstrantium notatu dignum est,  
quod nisi ad Conversionem confugias, *Modi Figurarum ne qui-  
dem sint adequati*, sic in Prima Fig. datur adhuc modus Conclu-  
dendi legitimus per A.A. I. si nempe novus terminus in Con-  
clusione fiat Prædicatum: *Qvod idem & de modis aliis adhuc  
valer.*

## C A P. I V.

De

Usu hujus Doctrinæ

*fue de*

Inventione & Judicio Veri & falsi.

**U**sus vel respicit Synthesin vel Analysis §. I. *Quomodo Synthe-  
sis sit instituenda ad ductum Capitis I. §. II. III. Quomodo se-  
cundum Tertium Cap. §. IV. V. VI. cuinam rei inserviat hoc Con-  
clusiones eliciendi exercitium §. VII. & VIII. Quomodo Analytice  
procedendum ex Cap. II. §. IX. X. XI. quomodo ex Cap. III. §. XII.  
Quomodo, si ratio cinum quatuor constet terminis §. XIII. quomo-  
do Probatio seu Medius terminus sit inveniendus §. XIV. Finis.  
§. XV.*

§. I.

**N**on sufficit Veritates protulisse si vel maxime sint novæ &  
satis curiosæ, nislismul eadem quoque utiles esse evincan-  
tur. Ostendendum ergo, quomodo hujus nostræ doctrinæ u-  
sus, se in duabus, præcipuis hominis Eruditii operationibus *Syn-  
thesi & Analysis*. Ita exerat ut oleum & operam haud perdi-  
rit, qvi hæc sibi nota reddere voluerit.

§. II. Qvod ergo ad Synthesin attinet, potest ea institui,  
vel ad ductum Cap. Secundi vel regulas Tertiæ. Si capit is Se-  
cundum

cundi Subsidio in inventione veritatis uti velis, ante omnia *Ideæ debent esse recte constituta*. i.e. Propositionis ex qua novas Veritates elicere velis, Subjectum & Prædicatum, ita tibi debent esse notæ, ut non solum clare definire, sed & Conceptus utriusque Superiores & Inferiores promptissime dare possis.

§. III. Hoc facto propone tibi illud *Schem*a, ad quod Propositio ex qua argumentari velis pertinet, & secundum illud Conclusiones elice. Si nondum satis habes *nobilior*em quan-dam ex elicitis, iterum eodem anno modo, hic infinitus Conclusionum novarum. Tibi nascentur numerus faciliter admodum & jucunda opera, sine illa cognitione Figurarum & modorum.

§. IV. Sin malis Secundum *Tertium* hujus Disputationis Caput procedere, perinde erit, eadem tibi nascentur Conclusiones. Primo ergo Propositio Fundamentalis, ex qua novarum Conclusionum vis & multitudo prodire debet, eodem modo debet esse nota uti supra. §. 2. fuit declaratum. Dein il-lam Propositionem statim converte secundum notas de Con-versatione regulas. Tercio procede secundum *Figuram Primam* & medianibus Conceptibus Superioribus, primo elice Particulares, & singulas statim converte: Deinde medianibus con-ceptibus Inferioribus Universales, singulæque sufficienter ite-rum converte.

§. V. Quarto secunde *Figurae fontes* adi ex iisque hauri primo Particulares, haustasque converte Deinde Universales & iterum converte. Quinto, Quartam *Figuram* excute ( *Tertia enim Tibi hic nihil dabit* ) ex ejusque Conceptibus Superioribus Particulares confice, confessasque secundum regulas conversionis maxime vero & secundum nostram Observatio-nem Cap. I. §. 1b, 17, 18. tractare memento.

§. VI. Nunc porrò ad *Conclusiones duorum Novorum ter-minorum* procede, & ad ductum octo Figurarum nostrarum, de quibus vide Cap. III. §. 14, 15, 16, 17, 18, 19. Conclusiones novas profer sic tota materia immediatarum Conclusionum

(nisi

nisi quod ex usu Secunda Figura Conclusiones pareat mediata: ita erit exhausta, ut certus esse possis, nihil ex hac Propositione concludere cuiquam esse integrum, quod Te non jam fuerit eductum. Tantus enim oculis suis subjicietur novarum Conclusionum numerus, ut mireris; sic v. gr. ex illa Propositione non adeo secunda: Quid movetur, movetur ab alio, Conclusiones 587. aliquis faciliter opera eduxit.

§. VII. At ais, Cuinam bono quæso, tantus Conclusionum numerus, quorum maxima pars nihil magnopere habebit in recessu? Respondeo; dic mihi, cuinam bono inserviebat *tangus exercitorum Latine Lingue*, olim cum' eam addisceres, numerus: Respondes ut eam eo certius & facilius callerem Lingyam. Sic ergo eidem quoque fini velificantur hæc nostra adminicula. Nec hic tamen solus est eorum usus, sed duplex ille imprimis: Inserviunt & ei, qui artem rationandi discit, & qui jam callet: Illi ut habeat, quo judicium naturale exerceat & dirigat: Frequenti enim ejusmodi exercitio, ejusmodi habitus conciliabitur intellectui, ut statim nobiliores Conclusiones ex quacunque Propositione elicere & de Conclusionibus ab aliis eliciti promptissime, ita ut non amplius habeat, ut de adminiculis cogitet, judicare possit; Quo sane quid possit esse nobilior, quid erudito homine dignius non video.

§. VIII. Huic vero qui artem ratiocinandi jam callet, multis quoque modis hæc adminicula succurrunt, dum memoriam ejus sublevant, ingenium excitant, ita ut longe solidiores Illustrationes, secundumque materia de quacunque re sapienter differendi ex his fontibus hauriri possit, quam quidem vulgo ex Confusione Locorum quos vocant Topicorum illud frustra tentatur. Sic enim tot exinde poteris haurire Conclusiones materia dicendi tibi deesse haud poterit si vel maxime illas Conclusiones, (id quod tamen haud suademus) recitare prolixioribus velis.

§. IX. Quantum vero ad Analysis seu *Judicium Veri & Falsi*, & hic nullo modo poterit tibi hærere aqua, si Cap. nostri secundi ductum amplecti velis; Sic enim Primo consideranda Conclusio, quam aliquis elicuit, Secundo probatio seu Propositio, unde illam eduxit; Tertio conferendæ haec duæ Propositiones & videndum, an duo novi in Conclusione ad sint termini, an unus tantum. Videndum Quarto, an Probatio sit Propositio Universalis Affirmans an Negans, an Particularis Affirmans, & tandem an Particularis Negans. Quinto, an novus Conclusionis terminus sit peritus ex Subjecto, an ex Prædictato, an ex hujus Opposito, & si duo novi sint, adeoque ex Subjecto simul & Prædicato petiti, quo ordine in Conclusione excipiant. Jam si probatio sit Universalis Affirmans, judicium institue secundum Schema primum; si Universalis Negans ad secundum Schema examina, si particularis Affirmans ad Terrium, si particularis Negans ad Quartum. Sic statim apparet, an recte ab altero fuerit conclusum.

§. X. Ut autem scias, ad quem hujus vel illius Schematis numerum aliqua Probatio pertineat, illud præcipue cognosci debet, de quo Num. 5, diximus, unde nempe *novus* terminus sit *petitus*. Id vero sic optime cognoscitur, si ratiocinatio tribus censet terminis, *notandum*, quod in Conclusione repetatur aliquis terminus, qui extat quoque in Probatione, hic sane nec *Medius* erit nec *Novus*: Restent autem duo adhuc necesse est, quorum ille, qui Probationem ingreditur *Medius*, ille vero, qui *Conclusionem Novus* erit. Id quod etiam valet de ratiocinatione quatuor terminorum, *Medii* nempe semper erunt in Probatione *Novi* in Conclusione: *ex quo Mediorum aliquis Novorum* provenerit, vix accurate definire poterimus, sed hoc *judicio* cuiusvis relinquendum, aut primo tentandum *an servato ordine* ex priore *Medio* prior *Novus* ex posteriore posterior fuerit elicitus, quod si non sit, *ordo inversus* sine dubio erit *verus*: Sæpe cum uterque ordo procedit, diversa quoque Conclusiones.

clusio potest educari. Jam ergo si cognovisti, unde novus vel novi termini sint petiti nihil superest quam ut videoas, an secundum Schema nostrum talis probatio talem adiuvat *Conclusionem*.

§. XI. Quid si vero *Conclusio* sit *Negativa*, *Probatio Affirmativa*, jam hoc ipsum Indicium erit, Novum terminum descendere ex Prædicati Opposito, adeoque *Probatio Affirmativa* mediante suo Opposito *facienda est Negativa*, & tunc judicanda secundum Schema II.

§. XII. Hanc ipsam *Analyzin* si malis instituere secundum Doctrinam Cap. III. ita procede: Primo vide an *Tribus an Quatuor Terminis* constet ratiocinatio: Secundo si Tribus, unde novus sit petitus, an ex Subjecto an ex Prædicato, an ex hujus Opposito, secundum §. XI, XII. Si ex Subjecto *Tertio* perpende an Propositione sit Universalis, an Particularis, si *Universalis*, pertinet ad *Primam Figuram*, adeoque secundum Descriptionem eius supra a nobis datam ea ratiocinatio est judicanda si cæteris omnibus se ita habentibus *Probatio sit Particularis*, eadem ad Descriptionem *Tertiae Figurae*, ad quam spectat, est examinanda. *Sin Novus Terminus* deprehendatur petitus ex Prædicato ad *Quartam Figuram* pertinebit illa argumentatio, ad ejusque descriptionem exigenda quod si tandem *Novus terminus ex Prædicati opposito* sit depromptus, *Secunda Figura Lydius* hujus ratiocinationis est Lapis; In hisce autem omnibus *Novus Terminus* debet in Conclusione occupasse *Locum Subjecti*, id quod si fiat secus antequam judices, *Conversio* erit instituenda.

§. XIII. Superest ut dicamus adhuc, quomodo judicare debeat, si ratiocinium quoddam *quatuor* absolvatur *Terminis*: Hoc eti etiam secundum Cap. III. §. XIII, XIX, judicium possit institui, tamen quoniam & haec Figuræ in vulgaribus libellis Logisticis desiderantur, & longe facilius secundum Figuras Cap. II.

II. judicare queat, brevitati gratia Lectorem remittimus ad ea,  
qua hoc Cap. IV. §. 9. a nobis fuere dictæ.

§. XIV. Et hæc est Analysis nostra; cæterum videtur adhuc inventio *Probationis* seu *Medii Termini* huc pertinere quippe quæ operofe satis a Scholasticis ex Aristot. prior Anal. Lib. I. Cap. præcipue XXVIII. fuit tradita. Sed illa quidem doctrina mihi plane videtur *inutilis*: qui-cunque enim *Synthetice* ex Medio termino ad Novam seu ex *Probatione* venit ad Conclusionem ille quando regreditur ex Conclusione in *Probationem* saltem repetit oportet Terminus unde hanc Conclusionem ipse elicuerit. Unde *naturalissima Methodus probandi* est, ut observes, an *universalitas*, an *Particularitas*, an *simplex Affirmatio vel Negatio* probanda veniat, cuius probationem facilime poteris dare, si supra Cap. I. traditas nostras *Definitiones exacte* calleas: hinc vero *naturalissima* via regredieris in *Divisions* proximas ex his in *Conceptus Superiores* ex his iterum in *Superiores* donec in *Sensu subtilitas*, & hic est *ultimus probandi Terminus*, ultra quem profilire haud decet. Quodsi vero alicui *Methodus probandi Aristotelica* magis arrideat ei nostram haud obtrudemus: Interim & difficulter admodum illa est & ut mihi videtur non etiam satis *adquata*: Procedit enim tantum ubi inter *Subiectum* & *Predicatum* datur *Terminus aliquis Medius*, v. gr. *Omnis homo est Corpus*, interjacet hic *Medius Animal*, adeoque optime hic terminus *Probationem* fuggerit, ut si dico *Omnis homo est Animal*, vix video quomodo secundum famosum illud NaPCas *Medius aliquis terminus sine tautologia posuit invenire*.

§. XV. Hæ sunt *Cogitationes justæ de Novis Demonstrative rationcinandi adminiculis*, quæ si videbuntur aliquibus in locis *obscurores*, excusat nos *Benevolus Lector* utque sciat nos in hac Disputatione fere non nisi *Sciographiam* ejus exhibuisse, quod forte cum tempore *Præses integrum libro* clarius pereatabit & distinctius. Cæterum legat hæc *placide*, cum placide sint scripta, & si qua in re a nobis dissentit, sua dubia *benevole* opponat: certo persuasus nos penitus gestire, ea quæ contra meditationem nostram Eruditissimo Lectori in mentem venient, audire.

T A N T U M.

ULB Halle  
003 620 00X



3

5b,

VII

17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

**NOVIS  
RATIOCINANDI  
ADMINICULIS,**

ubi ostenditur

Quomodo aliquis sine syllogismorum co-  
gnitione, ex una Propositione rite cognita, Myria-  
des Conclusionum novarum elicere possit,

Quam

Indul tu benevolo Inclytæ Facultatis Philosophicæ,  
In Academia Lipsiensi

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆNOMINISSIMI ATQUE PRÆCLARISSIMI

DOMINI

**M. ANDREÆ Rüdigers /**

D. V. April. MDCCIV.

Eruditis examinandam exhibet:

**JOH. CHRISTOPH. NOERNERUS,**

Rochl. Misn.

---

LIPSIAE,

Literis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

